UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

M. DC. LXI. Coloniae Munatianae, 1661

De Purificarione post partum. Titvlvs XLVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62953

Visual Library

CAP II.

Sanctorum reliquiæ vendi non poſſunt, vel paſſim oſtendi non debent, ne circa illas populus decipi poſſit.

Innocentius III. *in Concilio generali* a.

CVm ex eo *b*, quòd quidam ſanctorum reliquias exponunt venales, & eas paſſim oſtendunt, Chriſtianæ religioni detractum ſit ſæpius: Ne in poſterum detrahatur, præſenti decreto ſtatuimus, ut antiquæ reliquiæ amodò extra capſam nullatenus oſtendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo, nemo publicè venerari præſumat, niſi priùs auctoritate Roman. Pontif. fuerint approbatæ *c*, prælati verò non *d* permittant eos, qui ad eorum eccleſias cauſa venerationis accedunt, variis figmentis, aut falſis documentis decipi, ſicut in pleriſq; locis occaſione quæſtus fieri conſuevit.

DE OBSERVATIONE IEIVniorum *e*.

TITVLVS XLVI.

CAP. I.

Vigilia occurrens in Dominica, jejunari debet in Sabbatho: & jejunanda eſt vigilia Matthiæ.

Innocentius III. *Clericis S. Petri* [*Magol.*]

EX parte veſtra quæſitum fuit, utrum ſi Nativitatem Domini, vel adſumptionem B. Mariæ, vel feſtivitatem alicujus Apoſtolorum in ſecunda feria contigerit evenire, die Sabbathi præcedentis vigilia *f* debeat jejunari? & utrum in vigilia B. Matthiæ Apoſtoli, ſit jejunium injungendum? Ad quod breviter reſpondemus, quòd die Sabbathi feſtivitates prælibatas *g* ſecundæ feriæ præcedentis, & B. Matthiæ Apoſtoli debet vigilia jejunari.

CAP. II.

Non capit congruam ſummationem, & textus in ſe ſatis clarus eſt, & multa ſunt dicta, quæ patent per §.

Idem *Bracaren. Archiepiſcopo.*

COnſilium *h* noſtrum: [1 *& infrà.*] Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd omnium Apoſtolorum vigiliæ ſunt in obſervatione jejunii celebrandæ, præter vigilias Apoſtolorum Philippi & Iacobi, & B. Ioannis Evangeliſtæ, quoniam ipſorum ſolennitas intra ſolennitatem Paſchalem, iſtius autem intra natalem Domini celebratur. Iejunium etiam apud nos in adventu Domini agitur.

Sanctorum *i* quoque vigiliæ, quorum feſtivitates oportet ſecunda feria celebrari, in præcedenti ſunt Sabbatho jejunandæ.

De feſtivitate verò B. Bartholomæi Apoſtoli, de cujus celebratione dubietas oritur apud quoſdam, reſpondemus, quòd in hoc conſuetudinem tuæ regionis obſerves *k*: [*& infrà.*] Cùm autem quæſieris, quæ ſit illis pœnitentia injungenda, qui diebus quadrageſimalibus, tempore, quo *l* tantæ famis inedia ingruebat, quòd magna pars populi, propter inopiam annonæ periret, carnes comedere ſunt coacti: reſpondemus quòd in tali articulo illos non credimus *m* puniendos. Preces tamen Domino pro illis, & cum illis effundas, ne ipſis aliquatenus imputetur: quia bonarum mentium eſt, ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur. Item de illis qui propter debilitatem in Sabbatho carnes ſumunt, quod in partibus tuis nullatenus fieri conſuevit, cùm hoc ab aliis moleſtè feratur, & oriatur inde illis occaſio detrahendi: reſpondemus, quòd ſuper hoc conſuetudinem tuæ regionis facias obſervari, ſi tamen quòd debilibus & infirmis, propter hoc periculum non emergat. Præterea de illis, qui in quadrageſima vel aliis jejuniis ſolennibus infirmantur, & petunt ſibi eſum carnium indulgeri: reſpondemus, quòd cùm non ſubjaceat legi neceſſitas fidelium infirmorum, cùm urgens neceſſitas exigit, ſupportare potes & debes, ut majus periculum in eis evitetur.

[1 *Super quibuſdam articulis requiſiſti, utrum in omnibus Apoſtolorum vigiliis jejunandum, cùm quidam aſſerant non jejunandum in omnibus, ſed ſex tantùm. Verum etiam jejunandum ſit in adventu Domini, cùm inde ſentiant diverſi diverſa, quibuſdam dicentibus, ſed paucioribus, jejunandum eſſe tunc omnino, pluribus verò ſe ad hoc aſſerentibus non teneri. Utrum ſi feſtum illorum, quorum vigilias jejunamus, ſecunda feria venire contingat, in præcedenti Sabbatho ſint vigiliæ faciendæ.*]

CAP. III.

Si Feſtum Nativitatis occurrit ſexta feria, licitum eſt omnibus carnes comedere, exceptis profeſſis & voventibus.

Honorius III. *Pragen. Epiſcopo.*

EXplicari *a* per ſedem Apoſtol. poſtulaſti: [1 & j.] Reſpondemus, quòd illi, qui nec voto nec regulari obſervantia ſunt aſtricti, in ſexta feria, ſi Feſtum Nativitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt, ſecundum conſuetudinem eccleſiæ generalis. Nectamen hi *b* reprehendendi ſunt, qui ob devotionem voluerint abſtinere.

[1 *Utrum ſit licitum illis, qui nec voto nec regulari obſervantia ſunt aſtricti, carnes comedere, quando in ſexta feria dies Dominicæ Nativitatis occurrit. Ad hoc.*]

DE *c* PVRIFICATIONE poſt partum.

TITVLVS XLVII.

CAP. I.

Mulier poſt partum ſtatim poteſt ingredi eccleſiam, nec tenetur abſtinere per aliquot dies ſecundum legem Moſaicam.

Innocentius III. *Armachan. Epiſcopo.*

VOlens: [1 *& j.*] Licet *d* ſecundùm legem Moſaicam certi dies determinati fuiſſent, quibus mulieres poſt partum à templi ceſſarent ingreſſu. Quia tamen lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Inquiſ. t. t. 1. quòd poſtquam umbra legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii, ſi mulieres poſt prolem emiſſam acturæ gratias eccleſiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur, nec eccleſiarum eſt eis aditus denegandus: ne pœna illis *e* converti videatur in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abſtinere, devotionem earum non credimus improbandam.

[1 *Fraternitas tua per reſponſ. Apoſtolicam humiliter* [illegible] *à nobis expetiit, utrum mulieres ſtatim poſt partum debeant eccleſias ingredi, vel ab earum ingreſſu per dies aliquot abſtinere.*]

a *Scilicet Lateran. c. 62. & ca. 2. De imm. ecclеſ. in 4. compil.* b *Vid. Concil. Trident. ſupr. citatum c. 1. hoc tit. & Sylveſtrum in ſumma, verbo reliquia.* c *comprobata.* d *in C. Barbatia, non permittant eos de cætero, qui, &c.* e *B. Thom. 2. 2. quæſt. 147. Vid. Ca. 1. eod. tit. in 3. comp.* f *præcedenti.* g *prælibata.* h *Ca. 2. eod. tit. in 3. compil.* i *al. & ſanctorum vigiliæ, quorum quoque feſtivitates, &c.* k *Vid. l. ſi fundus. ff. de evict. & l. ſi ſervus. in fin. ff. de leg. 1.* l *al. tempore illo quo tanta, &c.* m *Ratio hujus dicti eſt in antiqua compil. quam hic omiſit Raymundus; quos urgens neceſſitas excuſavit.*

a *Vid. Covarru. 4. var. reſol. ca. 20. & Sylveſt. in ſumma, verbo jejunium.* b *illi.* c *al. purgatione.* d *C. 1. eod. tit. in 3. comp. Cur purificatio fuerit in lege inſtituta, vid. Thom. 2. 2. q.* [illegible] *& de Purificatione legitur Levit. 12.* e *ea.*

DE

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN